

[373r]

**Gratiosus Matris pulchrae dilectionis lusus,
olim Ismeriam, Aegypti Regis filiam,
Christo lucratus,**

hodie ludo dramatico exhibitus
ab Illustrissima, Perillustri, Praenobili, Nobili, ac Ingenua
mediae classis grammatices juventute
academici gymnasii Societatis Jesu Pragae ad Sanctum Ignatium
1729, mense Majo, die 17.

ARGUMENTUM

Tergeminos adolescentes (Marchinum, Heppinum et Sequinum dicimus), uti ortu, ita virtute illustres, Califus, Aegypti Sultanus, vinculis pressit. Quos tamen cum perditos nollet, ad Mahometem pertrahere cumprimis satagebat. Omnem illi artem eluserunt. Demum Ismeria, Califi filia, pervertendorum ab orthodoxa fide assumpsit negotium. Sed Virginis Deiparae interventu pro eo, ut adolescentes Mahometi lucraretur, ipsa in lucrum Christo ejusque cessit fidei, author postliminio sibi illisque ex tyranni potestate elabendi. R. P. Michaelis Pexenfelder S. J. Concionator historicus, pagina 1031.^a

PROLUSIO

Mahometismus Christianam Innocentiam domesticae ad se invitat Syrenulae lenocinio. Sed haec objectum Mariae Ectypon intuita, mox a Prototypi amore capta, Mahometismum una cum Christiana fugit Innocentia.

INDUCTIO I.

Alladinus, obtentae nuper de Christianitate victoriae internuncius, nobile in fratrum triade Califo sistit spoliū. Plaudunt victores, etiam victis ad choreas per ludibrium adactis.

INDUCTIO II.

Placet barbaro nobilis adolescentum indoles, quapropter si Christo mittant nuncium, aulicam illis destinat libertatem. Sed renitentes carceri mancipat.

INDUCTIO III.

Achmes, Suleyma et Melichi, regii ephebuli, pervertendorum ab avita fide Christicolarum assumunt provinciam, sed a Marabucio ceu impotentes reprimuntur.

^a Pexenfelder: *Concionator historicus*, s. 1031–1037.

INDUCTIO IV.

Exinde male Marabucii arrogantiae ominantes, ad regia revertuntur obsequia. Christicolae vero, eliso Marabucii conamine, ulteriora Virginis Deiparae exposcunt subsidia.

[373v]

INDUCTIO V.

Ismeria super eo, quod per quietem ternos adolescentes virgini cuidam admirabili acciduos et in ejus vota concedentes vidisset, varie angitur. Spe demum explicandi a Marabucio somnii erecta, nonnihil quietatur.

INDUCTIO VI.

Marabucius eo, quod apud Christi asseclas nihil svadendo profecerit, causantibus praevis ejus arrogantiam ephebulis, aula exesse jubetur. Califus dolo, sed frustraneo, Heppinum adoritur.

INDUCTIO VII.

Eodem pene tenore Alladinus Marchinum et Sequinum tentare constituit, nihilo tamen amplius proficit.

INDUCTIO VIII.

Obvius Ismeriae Marabucius percipit somnium. Explicat virginem visam fuisse ipsam Ismeriam, in cujus vota captivi Christicolae cesserint. Redit ad aulam, id ipsum ocyus Regi nunciaturus.

INDUCTIO IX.

Plaudit inde Califus et exclusis caeteris totum Ismeriae delegat negotium. Si tamen res minus e voto cedat, infame protinus Christi asseclis supplicium decernit.

CHORUS

Innocentia Christiana dum sanguinis fusione pro fide cupit erubescere prolixiore, innocentis vitae candore Mariae honorem jubetur faenerari.

INDUCTIO X.

Aggreditur munus Ismeria, quae auditis Deiparae encomiis, ingenti ejusdem visendae tenetur desiderio. Suscipit proinde Marchinus depingendae Virginis officium, notantibus id ephebulis.

INDUCTIO XI.

Alladinus in omnem rei eventum lugubre theatrum meditatur. Ephebuli quod ante notarant, eidem aperiunt; qui interim ad aulam ob spem melioris eventus repetito nuncio revocatur.

INDUCTIO XII.

Anxiis de assumpto depingendae imaginis officio Christi et Mariae clientibus, allapsa portento Deiparae icon angorem commutat in tripudium. Agnoscit Ismeria objectae sibi per quietem virginis effigiem totaque in amorem Deiparentis abripitur.

INDUCTIO XIII.

Marabucius templum, in quo fratres, ejurato Christo, doctrinae Mahometis subscripturi falso creduntur, adornare nititur. Califus dexteritatem filiae commendat.

INDUCTIO XIV.

Adest Alladinus, dignos adolescentes, qui ex carcere jam educti fuerint, denuncians. Inde jubilus, qui tamen postliminio in extremam Califi et aulae universae consternationem convertitur, dum nempe compertum fit adolescentes duce Ismeria fuga elapsos esse.

INDUCTIO XV.

Ismeria cum sociis flammeas Exhilaratrici Deiparae grates persolvit utrique se totos ejusdem obsequiis mancipant.

EPILOGUS

Docet premi quidem posse, sed non solum non opprimi Inocentiam Christianam, verum sub Mariae praesidio evadere gloriosiore.

O. A. M. D. G.